

No. 219. 1274. 13. Febr.

*P. Gregor X. beauftragt den Decan, den Scholasticus und den Schatzmeister des Hochstifts Merseburg die Klage des B. zu Meissen über die Aebte zu Georgenthal, Reinhardsbrunn, Reifenstein, zu S. Peter in Erfurt und zu Gozeck, dann den Probst des Nonnenklosters auf dem Cyriaksberge bei Erfurt zu untersuchen und zur rechtlichen Entscheidung zu bringen.*

Gregorius episcopus servus servorum dei dilectis filiis . . decano . . scolastico et . . thesaurario ecclesiae Merseburgensis salutem et apostolicam benedictionem. Conquestus est nobis venerabilis frater noster . . Misnensis episcopus, quod . . vallis sancti Georgii . . de Reynesburne . . de Rifesten . . sancti Petri de Erfordia et de Goz monasteriorum abbates Cisterciensis et sancti Benedicti ordinum et . . praepositus monasterii sanctimonialium Montis sancti Cyriaci extra muros Erfordenses, Maguntin. et Halberstadensis dioces. super quadam annua pensione iniuriantur eidem. Ideoque discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus partibus convocatis audias causam et appellatione remota debito fine decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere, proviso ne huiusmodi pensio contra Lateranensis statuta concilii sit imposita vel adaucta. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Lugduni Id. Februar. pontificatus nostri anno secundo.

Pa. de Pon.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Bleisiegel an hänfener Schnur.

No. 220. 1274. 18. Febr.

*P. Gregor X. beauftragt den B. von Merseburg nach näherer Erörterung das weitere Verfahren in dem Streite zwischen den Bischöfen von Lebus und Meissen wegen ihrer Diöcesangrenze an den Erzbischof von Magdeburg, bez. den Abt zu Paradis zu verweisen.*

Gregorius episcopus servus servorum dei venerabili fratri . . episcopo Merseburgensi salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis venerabilis frater noster . . episcopus Misnensis petitione monstravit, quod cum bonae memoriae W. Lubucensis episcopus ipsum super quibusdam limitibus seu terminis de Schydelowe<sup>a)</sup> suae diocesis, de quibus se per eundem Misnensem episcopum confingebat violenter eiectum, coram dilecto filio . . abbate de Paradiso Cisterciensis ordinis Poznaniensis diocesis auctoritate litterarum bonae memoriae G. tituli sancti Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis tunc in illis partibus apostolicae sedis legati traxisset in causam, ex parte ipsius episcopi Misnensis fuit coram eodem abbate excipiendum propositum, quod cum idem episcopus Lubucensis praefatum Misnensem episcopum super praedictis coram venerabili fratre nostro . . archiepiscopo Magdeburgensi eius metropolitano prius tra-

a) Schiedlo.